

RHODOLPHVS PRINCEPS ANHALTINVS.



R Hodolphus natus est ex illustrissima familia principum Anhaltinorū in Saxonia, quę suam originem à Bernhardo Electore Saxoniæ (quē Fridericus Barbarossa Heinrico Leoni substituerat) habuit, multosq; Electores & principes tulit. Pater erat Georgius princeps Anhaltinus, Comes Ascaniæ, & dominus in Bernburgck. A tali ergo familia Rhodolphus prognatus, & in omni genere uirtutum educatus est. Cum is adoleuisset, armorum studia dilexit, atque Cæsaris castra constanter secutus fuit. Itaq; magnam rei bellicæ peritiam nactus, Maximiliano anno 1510 gratissimus extitit. Vnde cum in Belgis bellum esset exortum, hunc Rodolphum Cæsar summum exercitus ducem constituit, atq; eius opera res multas preclara regessit. Par ratione postea contra Venetos hunc principem in Italia copijs præfecit, atq; ad flumen Adilam hostem memorabili prælio superauit.